

an, daß die betreffende Bestimmung nicht an der entsprechenden Stelle oder überhaupt nicht in der zweiten Urkunde steht.

A.

In nomine sancte et individue trinitatis. Dei gratia Otto dux de Brunswic omnibus in perpetuum. Quecumque labili geruntur sub tempore, ne cum tempore mutabili simul a memoria cum tempore evanescant, expedit testimonio virorum proborum et litterarum munimine roborari. Ad noticiam igitur et futurorum et presentium volumus pervenire, quod, et quo civitas Honovere dominum suum verum nos videlicet recognoscens ad manus nostras se reddidit, jura ejus et statuta infringere non volumus tantum, immo jus in statu meliori ponere et perfectum volumus auementare. Jura autem civitatis hec sunt: [1.] Si quis vulneratus fuerit et proclamaverit, dabit advocato sexaginta solidos. Si vulneratus non fuerit, dabit advocato 5 solidos. [2.] Omnis violentia, que dicitur silfrichte, 4- or solidis emendabitur. [3.] Si quis res suas alicui coram judicio recognoverit, dabit solidum, qui dicitur vrethescilling, et talis recognitio rata erit. [4.] Censum arearum infra civitatem accipiet advocatus post nativitatem domini preter censum ecclesiarum beatorum Egidii atque Galli. [5.] Magister civium corriget omnes indebitas mensuras sub pena 5 solidorum, quorum tertia pars cedit advocato, due vero civitati. Verump-

B.

In nomine sancte et individue trinitatis. Dei gratia O[tto] dux de Brunswic omnibus presens scriptum inspecturis salutem in salutis auctore. Que geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, necesse est ea testimonio proborum virorum munimine roborare. Notum facimus omnibus tam presentibus quam futuris, quod nos jura et statuta civitatis in Honovere, postquam presentata est nobis et nostris heredibus, nullo modo volumus debilitare, sed pro nostris viribus et dei adjutorio potius auementare. Statuta et jura hec sunt: [1.] Si quis vulneratus fuerit et proclamaverit, 60 solidos dabit advocato. Si autem vulneratus non fuerit, dabit advocato 5 solidos. [2.] Omnis violentia, que dicitur selfrichte, 4 solidis emendabitur. [3.] Si quis alicui res suas coram judicio recognoverit, dabit deputatos ad hoc denarios et rata erit talis recognitio. [4.] Censum de areis infra civitatem accipiet advocatus post nativitatem domini preter censum ecclesiarum beati Galli et Egidii. [5.] Magister civium corriget omnes indebitas mensuras 5 solidis, quorum tertia pars cedit advocato, due vero civitati. [6.] Domus vel quecumque possessiones, si ab aliquo manifeste et quiete possidentur per annum, ab eo amplius alienari non po-